



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

198. An statuta laicorum etiam fauorabilia Clericis sint valida? Et an statuta, & leges Principum sæcularium etiam licita, & honesta, & propter commune bonum facta & quæ priuilegia Ecclesiae non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

Martha de iurisd. p. 4. cent. 1. cas. 62. num. 6. Altherius tom. 1. disp. 16. lib. 5. cap. 6 fol. 703. col. 2. qui citat Felinum in cap. Eccles. S. Mariae num. 124. de constit. & copiose noster D. Carolus de Grassis de effect. cler. eff. 2. n. 14. & 23. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 10. n. 469. qui citat Sayrum, & Syluestrum; & alij. Et ratio est: quia privilegium concessum, postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius: ergo laicus potuit à principio privilegium Clericis non concedere, sed semel concessum non poterit amplius reuocare, vt habetur ex Felino in c. S. Mariae. n. 124. de constit.

3. Deinde, privilegium concessum alicui non subdito, reuocari non potest; vt habetur in c. nouit. de iudicijs, & notat Abbas in c. inter alia. n. 19. de immuni. Eccles. & alij. Sed Clerici non sunt subditi secularibus: Ergo privilegium illis concessum, amplius auferri non potest, & aliter facientes in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrerent: quod in verbis Bullæ determinatum videtur, ibi: *Quaruncumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet præiudicatur.* Item semper indirectè per statutum contra particularem Ecclesiam præiudicatur cæteris generaliter. Ergo, & c. Et ita, stante hac opinione, si erat statutum antiquum laicorum, vt singulis annis certo die cuiusdam mensis, cuiusdam Collegio Clericorum, vel Monasterio Regularium, erogarentur certæ elemosinæ sed deinde efficerent aliud statutum, ne in posterum ea elemosyna præbeatur; secundum hanc posteriorem sententiam, tale statutum esset contra libertatem Ecclesiasticam. Vide etiam circa præsentem quæstionem Genuensem in pract. Eccl. triennario 17. g. 480. n. 2. qui contra aliquos probat statutum esse contra libertatem Ecclesiarum, quando est contra libertatem vnius Ecclesiæ tantum.

RESOL. CXCVIII.

An statuta laicorum etiam favorabilia Clericis sint valida?

Et an statuta, & leges Principum secularium etiam licita, & honesta, & propter commune bonum facta, & quæ privilegia Ecclesia non laederent, adhuc non ligent Clericos?

Et notatur, quod quando Clerici, & Ecclesia in aliquo statuto non nominantur, possint cogi statuentes declarare, quod non comprehenduntur Ecclesia, & persona Ecclesiastica. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 13.

Sup. hoc supra in Ref. 92. §. Sed vt cursum in principio, & infra in Ref. 209. §. Adde. & in Ref. 210. §. 2. ad medium, & in Ref. 314. §. 6. & inferius in tr. 3. Ref. 15. §. 2. & in alio scaturum annotationum.

§. 1. **R**espondeo negatiuè ex defectu potestatis, & iurisdictionis, & habetur in c. Ecclesia Sancta Mariae, de constit. & ibi Abbas n. 10. & Felinus n. 80. vide etiam Beroum vol. 1. consil. 31. num. 22. & 24. Riminaldum seniore volum. 2. consil. 218. n. 8. Oddum consil. 44. n. 13. Menochium vol. 3. consil. 291. n. 25. & alios penes ipsos. Si tamen aliqua lex Principis esset merè privilegiata rerum Ecclesiasticarum siue Clericorum, tunc valeret, etiam quod laici nullam habeant superioritatem in spiritualibus, nam non subdito privilegium concedi potest, dummodo tamen talis lex non contineat præceptum, vel necessitatem, quia etiam quod Ecclesia esset favorabilis, & privilegiata, tamen propter præceptum, & necessitatem, quam imponeret clericis, non valeret, sed secus, si resolveretur in vim consilij, seu privilegij. Vide Surdum vol. 1. consil. 2. num. 19. & vol. 3. consil. 301. num. 13. & 24. Hondedeum vol. 1. consil. 3. num. 11. & vol. 2. consil. 29. n. 17. & alios, quos ipsi citant.

2. Notandum est etiam hic obiter, (& in hoc multi errant,) statuta, & leges Principum secularium etiam licita, & honesta, & propter commune

bonum facta, & quæ privilegia Ecclesiæ non laederent, adhuc non ligare Clericos, quia in statuente non sufficit iusta causa, sed requiritur iurisdictionis necessitas, seu bonum commune, vel iusta causa, nunquam tribuunt iurisdictionem laicis in Clericos. Vide Menochium vol. 3. consil. 291. n. 25. Surdum vol. 1. consil. 2. num. 33. & vol. 3. consil. 301. num. 11. & 28. & alios penes ipsos.

3. Nota etiam quod quando Clerici, & Ecclesia in aliquo statuto non nominantur, possunt cogi statuentes declarare, quod non comprehendantur Ecclesia, & persona Ecclesiastica, vt docet Ioannes Bertran. de Guevara in propugnaculo libert. Eccles. assert. 2. §. 2. num. 63. Ancharanus num. 1. Geminianus num. 4. Francus num. 2. in c. finali de immuni. Eccles. in 6. D. Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 3. §. 5. & alij quos citant, & sequuntur Maynardus de privileg. Eccles. part. 1. art. 22. num. 31. & Surdus volum. 3. consil. 301. num. 45.

RESOL. CXCIX.

Quid facere debeat Episcopus, dum indices laici edunt aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 68.

§. 1. **S**i debium sit an illud statutum libertati Ecclesiasticæ aduersetur, & damnum Ecclesiis, vel clericis, inferat, cogere potest conditorem ad declarandum expressè tali statuto clericos, & Ecclesias non comprehendi. Si verò, perspicuè constet illud statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam, præcipere debet conditori, & ipsis ad quos pertinet, vt illud omnino tollant, & si hoc ipsi minime efficere volunt, debet ipse autoritate sua tollere, & declarare huiusmodi statutum, legem, actum, pragmaticam, aut aliam ordinationem esse irritam, & inualidam. Vide Felinum in cap. Ecclesia Sancta Mariae, num. 145. de constit. Altherium lib. 5. dispue. 16. cap. 6. dub. 54. Sayrum de cens. lib. 3. cap. 34. n. 17. & alios.

RESOL. CC.

Quando statuta laicorum sint contra Immunitatem Ecclesiasticam?

Et pro praxi explanantur quinque casus præter alios iam discussos in alijs Resolutionibus in hoc ipso tractatu, & nouo Ordine. Ex part. 4. tract. 1. Ref. sol. 55.

§. 1. **P**rimò, quando Ecclesia & persona Ecclesiastica prohibentur, aut impediuntur vti rebus, aut facultatibus à iure communi sibi concessis. Ita Felinus in cap. Ecclesia S. Mariae, de constit. nu. 111. vlt. post medium, & ibi Imola, & Butrus, Alexander lib. 1. consil. 121. & lib. 2. consil. 208. Tuschus tom. 5. concl. 342. num. 13. 19. & 17. & probatur ex d. cap. Ecclesia S. Mariae, de privileg. cap. fin. de immuni. Eccles. in 6.

2. Secundò, quando diminuuntur, vel tolluntur privilegia, Ecclesiis, & Clericis concessa à Deo, Summis Pontificibus, aut alijs Principibus secularibus. Ita Cynus, & Salicetus in Authent. cassa & irrita. Baldus in l. cunctos populos. Imola in cap. nouis de iudicijs, num. 2. Abbas n. 2. Alexander lib. 1. consil. 294. n. 3.

3. Tertiò, quando Clerici & Ecclesiastica personæ efficiuntur timidiore. Ita Angelus de Perusio in l. 1. §. qua oneranda, ff. quarum rerum, & Bartho. ibi ad medium cum